# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## Historia Marchionum Badensium & Hachbergensium - Cod. Karlsruhe 3293 II 10


**Gamans, Johannes**



**St. Peter auf dem Schwarzwald, 1758**


V. Opinio


urn:nbn:de:bsz:31-267058



Visual Library

wiki; an. C. 808. erexit ornatiorem Carolus quondam Marchio Badæ, regnante Friderico III. Cæsare fecit. Jam vero ob edacem ac ruinosam vetustatem, Carolus magni animi Princeps Marchio Bad. et Hochb. cujus effigiem hic cernis, tum reinstaurari, tum versus hostiles impetus in sui suorumque munimen et refugium promto subjectorum auxilio promuniri curavit, gubernante Carolo V. Imp. Aug. p. F. A. 1554. Et hæc paucis de Marchionibus Hachburgensibus. Nunc progrediendum ad sententias alias, nam

## V. Opinio.

Quinto: plerique neque Ursinorum neque Scaligerorum meminere, aut prosapiam Badensem et Hochbergensem diversas inter se faciunt, sed simpliciter affirmant, Hermannum Veronæ Marchionem à Friderico I. Imp. Ænobarbo, cui obses datus erat, his primum regionibus impositum, eundemque Imperatorem ex comitatu Badensi constituisse marchionatum, et Hermannum Veronensem primum marchionem; ita enim loquitur Munsterus: Interfecto, inquit, Socero Bertoldi III. Zeringensis Ducis, et Sueviæ Ducatu Friderico à Stauffen collato, cui Henricus Imp. filiam suam elocaverat, indignatus Bertholdus, multa intulit Friderico bella in quibus tamen Fridericus superior fuit; Concordiam autem Imperator faciens dedit Bertholdo per modum feudi Advocatiam in polem civitatis Tigueriensis et totius adjacentis pagi: Bertholdo succedens Conradus frater bellum movit contra Fridericum Ducem Sueviæ unoculum, et excitavit contra se Fridericum Barbarossam, qui illi ademit Tigurinum, prosecutusque fugientem cepit arcem Zeringensem, et petere coegit Conradum veniam et gratiam Ducum Sueviæ, atque sequentibus temporibus

ditionem Hochburgenſem tradere, quam Imperator factus Fridericus dedit Marchioni Veronenſi adoleſcenti circa an. 1155. quem ſecum ex Italia obſidem adduxerat, a quo exiſtimantur deſcendiſſe marchiones Badenſes; et etiam antehac fuére tales. Sed idem Münſterus l. 3. c. 278. paulo aliter: Marchiones ait, Bad. et Hochburgenſes unū cōmune habent principium ſcil. Hermañum, qui an. 1120. hanc putatur poſſediſſe terram. H. l. 3. c. 283. ſcribit: Fridericum I. duxiſſe ex Italia ſecum Hermanū Veronenſ. ſanguine ſibi junctum, quē reſignata ditione ſua Veron. cùm ſcil. ei Germania arrideret, impetraſſe nuptias Juditha, et per eum Comitatum Badenſem et Hachberg. evectum eſſe in marchionatum, et ipſum Hermanū creatū ab eo Marchionem et principem Imperij.

Münſterū ſequuntur Pantaleon, Hieronymus Heninges in magno ſuo Theatro genealogico, Elias Reuſnerus, et Genealogiſtæ ac Historiographi alij. Petrus quoq; de Andlo Marchionū Badenſium originem ex Italia accerſit, licet n̄ nihil diverſimode, et Urſinorū etiā facta mentione: hæc enim ſunt ipſius verba l. 1. de Imp. Rom. c. 15. pag. 58. legimus: Illuſtres marchiones Bad. ex Romanorum germine, et ab Italia veniſſe in Germaniam; nam dum Fridericus I. Imp. de domo Ducū Sueviæ exortus, per Italiā de urbe progrediens, unum ex filiis Marchionis Veron. de genere Urſinorū urbis Romæ /: Veronæ :/ Principum procreati obſidem ſecum duxiſſet, quo magis ſibi Italiæ terminos et vallem Tridentinā egreſſus per ſui marchionatus munitiones liber pateret regreſſus, ex tunc eundem Marchionis filium idem Imperator ſpeciali proſequens

favore aviæ suæ imperiali assidere voluit, cui po-
stea dominium et Castrum Hachberg assignavit, et no-
va arma tribuit. Cum verò idem marchio successu
temporis sine liberis eẽt defunctus, Nobiles terræ ~~ipsius~~
illius pro alio dicti defuncti nepote legatos Veronam mi-
serunt ut dominium Hachberg jure devolutionis ad
ipsum pertinens possideret, qui veniens, et dominij il-
lius possessionem nanciscens ibidẽ vitam finivit, à quo
et marchiones de Baden processerunt, et titulũ mar-
chionatus originaliter, non à domino Badensi, quod
ab antiquo comitatus erat, sed à Verona et Romana
urbe contraxerunt. Unde alibi notavit D. Schneiderg
ad marginem sui MS^ti. sæpè sensus ē corruptus tam in
constructione quàm regulis gramaticis, ait, quendã
se legisse chirographum de dato à Nat. C. 1208. cujus si-
gilli epigrama hæc fuerunt verba: Johañis marchionis
Veronensis. hucusq. Petrus de Andlo; Eliæ verò Reus-
neri hæc sunt verba: Hermañus comes Veronensis et La-
duanus, inquit, Fridericum Barbarossã sanguine sibi
junctum ex Italia reducem secutus, cum Germania
ipsi arrideret, nuptiis Juditha Comitissa Hachbergensis
agros illos secus Rhenum, ubi hodie ē marchia Baden.
consecutus, et ab eodem Imp. in marchionem et princi-
pem Imperij ē investitus circa an. 1153. In eundem
fer modum scribit Henninges quoq. nisi quod in aõ
cum Reusnero dissentiat, ita enim loquitur: Hermañy
Marchio Veronensis, qui Imperatori Friderico Barbar.
militans, cum ipso Italia relicta Germaniã ingressus
ē an. 1155. cum hæc magis quã Italia arrideret, Im-
perator ipsi Imutham /: alij Judithã, quæ alibi
soror Imutha nominatur, sepulta Backenæ aõ 1162. :/

ultimi comitis Badensis et Hachberg. filiã despon-
dit, addita dotis loco ditione Badensi, quam in
Marchionatum et Principatum sublimavit; factus
itaq; primus Marchio Bad. (: ait :) et Hochbergensis
magna pietate, prudentia et Sapientia subditos gu-
bernavit, atq; Impatori in rebus difficillimis, et ar-
mis et consiliis adhaesit, donec tandem annis et labo-
ribus exhaustus diem clausit extremũ an. 1160.
Pari fere modo loquitur Albitius in suis Stematibus
Principum christianorũ; nam ipsius haec sunt verba:
Hermañum dicunt Veronensem, qui cum Friderico I.
Imp. ex Italia in Germaniam venit, ab eo Imperij
marchionem factum, Imutham comitis Hachberg.
filiam duxisse, ex quibus marchiones Badenses
descenderint. Imutha enim fundavit Praepositu-
ram Backena prope Muram et pro VIII. Canonicis
alendis dotavit, ubi sepulta jacet: Etsi n. desint
etiam, qui dicant, marchiones hos ex Italia cum
Friderico quidẽ venisse, at comitatum Hochburgicũ
ipsũ Fridericum ei dedisse, quem prius Zeringiis
ademerat. Albizius.

## VI. Opinio.

Sexto: reperiuntur nnulli, qui Seren.mae familiae Bad.
et Hochberg. originem n. apud exteros, et in Italia
quaerunt, aut ultra montes accersunt, sed eos in
ipsa Germania, patria nostra, dulcissima ortos
et natos esse ex ipsis Archivis et Authenticiis vete-
rũ monumentis eruere conantur, dum referunt,
Serenissimam hodiernam Domum Austriacam et